Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ſeptimâ Maii.

M. PETRO POURRET, unici Regis Fratris Medico ordinario, Doctore Medico, Præſide.

An fugiendus ſomnus pauliſper à cibo?

INTEGER vitæ ſceleriſque purus, fortunatè vivens cum mente ſana in corpore ſano: quâ (amabo) arte fælicitatis humanæ apicem attinget? legitimo dubio procul, & opportuno ſex rerum non naturalium uſu, earundem verò abuſu intempeſtivo, morborum fatique præmaturi infælicitatem ſibi accerſet. Ut itaque optimum illud vitæ ſuavioris condimentum ſanitas conſervetur, à qua functionum animæ & corporis integritas pendet, aëris requiritur benignitas, ſobrietas, ſanioris, & diuturnioris vitæ cuſtos habita, excretorum, & retentorum moderatio, pacatus affectuum humanorum uſus: ut enim ventus navigio, ita hominibus affectus humani, quaſi adminicula ad præclaras actiones. Quiete & otio contabeſcimus, exercitiis roboramur: ut non mirum videatur, ſi rei militaris periti, plus quotidiana armorum exercitia, ad ſanitatem militum putaverint prodeſſe, quàm Medicos, Itaque pedites ſine intermiſſione imbribus, vel nivibus ſub tecto, reliquis diebus in campo exerceri voluerunt, equites non ſolum in planis, ſed etiam in abruptis & foſſarum hiatu, difficillimis ſemitis, ſeque & equos ſuos aſſiduè exerceri juſſerunt, cum laboris conſuetudo & in caſtris ſanitatem, & in conflictu poſſit præſtare victoriam. Dandum aliquod ſubindè intervallum animo, quod alimenti & virium loco ſit, & in ambulationibus apertis vagandum, ut cælo libero, multoque ſpiritu augeat, attollatque ſe animus, aliquando vectatio iterque, & mutata regio vigorem dabunt, convictuſque & paulò liberalior potio, quæ curas eluit, & ab imo animum movet, & ut morbis quibuſdam, ita mœrori ac triſtitiæ medetur; memineris, raritatem veneris utiliorem eſſe frequentia; cùm in ea homo alius exiliat ex homine. Ut vivas, vigila interdiu, & à pueritia; ſi enim per diem noctemque ſomnum continues mors erit? quid enim tunc ſomnus gelidæ niſi mortis imago. Sit igitur moderatus, & opportunus, multus enim nec corpori nec animo, nec rebus gerendis naturâ conducit. Nemo quidem cum dormit alicujus eſt pretii, non magis quàm ſi non viveret. Quicumque vivere & ſapere cupit longiſſimo tempore vigilet, ſola ſanitatis ſervata commoditate, ad hanc verò non multo opus eſt ſomno, ſi benè aſſueveris, ut plurimùm, ſeptem horas dormiſſe ſat eſt. Imperator Auguſtus, ſeptem horarum ſomno quotidie gaudebat, & ſanè niſi ſomnus quietem corporibus, & medicinam quamdam laboris afferret, contra naturam putaremus datum, aufert enim ſenſus, actionemque tollit omnem. Quia tamen abſolutè conducit refectioni, ſomno neceſſario indulgendum, ſed tempeſtivo, pauliſper ſcilicet à cibo quem facilè ſequitur, ut patet in omnibus ferè animantibus ſylveſtribus & domeſticis, in pueris, ſenibus, aliiſque plurimis, qui brevi à paſtu obdormiſcunt facilè, utiliter, & opportunè, longiorem ideo poſt cibos vigiliam damnat divinus ſenex, cum cibum non ſinat colliqueſcere.

VIGILANDI, dormiendique quædam viciſſitudo eſt, quod enim caret alterna requie durabile non eſt. Somnus laborum condimentum, vigilias excipiens videtur animi in medium ſeſe rereceſſus, pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris feſſa miniſteriis mulcet, reparatque labori. Dividitur in naturalem, non naturalem, & præter naturam. Naturalis ille eſt, qui poſt moderatas & uſitatas vigilias, quotidiè hominem prehendit, ut tres ſolemnes celebrentur coctiones, & exhauſti per vigilias reſarciantur ſpiritus. Non naturalis ille perhibetur, qui naturali profundior ac gravior eſt, vel ob nimiam & immodicam ſpirituum exolutionem, ut poſt inſignes labores, vigilias diuturnas, exercitationes immodicas, alvi profluvia, & ſimilia exſolventia ſuccreſcere ſolet, vel quod halituoſo quodam ſucco non tam facilè ſolubili caput inebrietur, ut temulentis evenire ſolet. Præter naturam is habetur, qui à cauſa ſoboleſcit morbifica & vincit ſpiritus, ultra omnem naturæ neceſſitatem & nutricatus evictionem, habetque τὸ δυσδιέγερτον ut difficilis ab eo fiat excitatio & expergefactio. Somnus autem naturalis definitur requies ac ceſſatio ſenſus principis & communis, exteriorumque ſenſuum, motuſque voluntarii, ad ſalutem animantium, à defectu vel motu imminuto ſpirituum animalium, citra ſanguinis & cerebri vitium oriunda. Is verò duplex perfectus & imperfectus, in priori omnes ferè ſenſationes internæ & externæ, ſinguli muſculorum motus, à voluntatis arbitrio pendentes feriantur & ceſſant, aut intermiſſionem quamdam vigoris patiuntur, quieſcente enim corpore, ſeminis, urinæ, fœcum effuſiones fiunt interdum, ſaltem nemo dormiens tonicam & extremam muſculorum nanciſcitur figuram, quippe quæ validam ac vehementer intenſam eorumdem expetit actionem, qualis ſolis vigilantibus ineſt. In hoc ſomno omnes ferè partes laxantur, non à ſanguinis defectu, qui inter dormiendum præterfluit, ſed ſpirituum animalium à quibus tenduntur partes, ſuumque ſervant tonum. Imperfectus autem definitur impotentia ad omnes ſenſationes, & motus voluntarios exercendos, ex defectu vel imminuto motu ſpirituum animalium oriunda. Ceſſatio hæc non eſt plena corporis ſolutio, ſed dumtaxat remiſſio, non ad otium & ſocordiam, ſed ad negotiorum & actionum quietem moderatam & opportunam non longè à paſtu. Imperfectus quoque obſervatur ſomnus in noctambulis ut de ſe ipſo narrat Pergamenus, quorum nonnulli de lecto ſurgunt, domûs portas adaperiunt cum ſolitis clavibus, & in equilibus à ſe ipſis reſeratis equos curant, claudunt deindè portas, lectumque repetunt; dormientes eoſdem quis ſentire diffiteatur, cum claves diſtinguant, incedendo nociva fugiant, eorum motus avi imaginatricè proficiſci facilè eſt dignoſcere. Noctambuli in hoc ecſtaticis à ſenſibus alienatis, & melancholicis comparandi, quod uni tantum rei & objecto ſint attenti, quandoquidem intentarum cogitationum veſtigia earum repreſentativa perſæpè adaperta reperiuntur, ad quæ jugiter feruntur ſpiritus, conceptæque de iis ideæ, eoſdem ad has ferè partes determinant, quæ eorum affectui obediunt, ſi verò fortè è ſomno excitentur, ita perterrentur ut metuendum ſit, ne in vitæ periculum incidant.

MINUS verè Ariſtoteles ſomni cauſam adſcribit vapori alimentorum benigno cerebri frigore & madore ſenſum communem obliganti, concreto, ac deorſum prolabenti; influens calidum ad cor retrudenti, cum poſt labores ex prolixo ſtudio, ſollicitudine, ſilentio, meditatione, titillatione, cantu, & ſimilibus, vel jejuno homini obrepat ſomnus: immò & ipſa voluntas ſomnum quodammodo aucupetur & accerſat, quia liberum animalium functionum ſuſpendit exercitium, quibus otiantibus ſpiritus ad penetralia revocantur; nec pariter admitto precariam illam anathymiaſim ad cerebri ſubſtantiam elatam ejuſque ductus obturantem. Somni parentem unicam agnoſco σύνοδον τῶν θερμῶν εἴσω revocationem caloris vivifici ſpirituum animalium ad intima, ab animalium functionum organis ad proprias ſcaturigines, & à corporis circumferentia ad alimenti officinas, ſequitur autem propter innatum conſenſum hunc ſpirituum motum ſanguis præſertim calidior ac ſubtilior, chylo ſaturatus aliquo ſpiritus vinciente. Ita tantiſper ab aſſumptis cibis opportunè ſomnus ſuccedit. Quod intrò ad ventriculum, coctionis gratia revocetur calor. Similiter poſt corporis aut animi labores aliaque exolventia ſomnus inducitur, ut diſſipati reſarciantur ſpiritus. Reliqua quæ inter ſomni effectrices cauſas numerantur, occaſiones & allectamenta potius dicenda ſunt ſomni, qualia ſunt longæ vigiliæ, defatigationes, labores, curæ, ſuavis cantus, concentus, ſoni amœniores vel minus elegantes, murmur & ſtrepitus aquarum earumque lenis ſuſurro, lectiones tædioſæ, aut minus attentæ, tenebræ, ſilentium, cogitationum ſuſpenſio, ſolitudo: quæ omnia aut animam ab intenta applicatione divertendo, promptam ſpirituum expanſionem cohibendo, aut eorum motum ratione quapiam intrò inclinando ſomnum accerſunt, ubi cerebrum ſenſus & motus fons feriatur ob ſpirituum ad illius penetralia & promptuaria collectionem, primique ſenſorii requiem. Calor ſpirituum foras emergens ſomnum excutit & vigiliam promovet, dum ſanguis ſpiſſior miſtione chyli craſſioris & ſulphurei ſubtilior redditur, evectorum ſulphurum exaltatione, ſaliumque volatilium evolutione è principiis craſſioribus, quæ ſalia molem ſanguineam dividendo, & attenuando ſerum ſeparant, eorumque à cerebro abſentia nec ſubſidet, nec laxatur amplius, & ita fit libera & liberalis ſpirituum anadoſis ſeu diſtributio, ſenſus & motus organa contenduntur, & tranſmittendis ad cerebrum objectorum vibrationibus redduntur apta, voluntariiſque motibus accommodata, hinc vigiliæ ſomno ſuccedaneæ, & in occaſionibus vehementium intus & extra impreſſionum perceptiones, cum à valido excitantur objecto, ſive ſtrepitu, & ſimilibus, quin & valentiores interdum exercentur quandoque motus, inſtigante imaginatione rationis moderamine minimè frenata. Idem calor ſpirituum intrò reductus ad viſcera ſalutarem partibus quietem conciliat, quam ipſe captare neſcit. Idem tenebrarum appulſu langueſceret in ſenſu, niſi ultrò receptui canens, ad congeſta alimenta ſe converteret. Grato muſicæ concentu otioſus Mœcænati per triennium inſomni, ſomnos comparavit, quos Mario juniori vehemens ψυχῆς ἀσέλπατος φροντὶς ademit, labore, inedia, vigilia pauperiem paſſus, adegit Annibalem ad ripam fluminis dormiret ut altum.

SOMNUS recreator corporum, virium redintegrator, operum pacator, medicus laborum, ſollicitudinum perfugium, viſcerum cibus & potus, artuum quies, dono divûm gratiſſima ſerpit, affecta vigiliis corpora recreat, attenuant vero juvenum vigilatæ corpora noctes. Per hunc mens & corpus benè placidèque conquieſcunt, ſi opportuno tempore non longè ab alimentis ineatur. Somnus concoquit, vigilia digerit, viſceribus jucundior eſt vigiliâ, in quibus univerſi corporis opes conduntur, quare curam omnem & diligentiam adhibent Medici in illis tuendis, in ſomno ubi hæc mirè reficiuntur nutritione, quæ gnaviter & expeditius nobis conſopitis munus ſuum obit, ſicque perficitur coctio, intus & in ambitu, & fatigati ac languidi placantur artus? His quidni alios effectus & phænomena ſomni jungamus. Somnus impinguat, vigilia extenuat, quia in vigilia longiori ſanguis atteritur, muſculorum contractione, particulæ ſulphureæ & volatiles in auras abeunt, ſerum ſalia dividens diſſipatur, acrior evadit ſanguis, ob ſulphurum ſalia nectentium contritionem, ità ſanguis nutriendis partibus ineptus evadit, ſed partes dumtaxat ſolidas attenuat, ſuiſque aſperitatibus radit. Contra verò ſomnus impinguat quia ſanguis in quiete lentè movetur, ſulphura non dividuntur, ſed inſpiſſantur, nec motu muſculari atteruntur, hæc eadem diu in veſiculis adipoſis immorantia corpus in molem carneam adaugent, ut videmus in glire, tota mihi dormitur hyems & pinguior illo tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit. Ibis apud Indos avis turdo ſimilis, appenſa per ſex menſes arbori in ſomno pinguiſſima evadit. Cur clauduntur palpebræ dormiturienstibus, & ita gravant oculos? Quod elevatores muſculi ſint exigui, comparatione inſtituta cum orbicularibus claudentibus oculos, in quibus copioſiores nidulantur ſpiritus, gravitas verò palpebrarum à lachrymis diluentibus, ſeſe in laxatarum palpebrarum membranas inſinuantibus, quas inflant & gravitatis ſenſum inferunt, hinc quoque à ſomno oculi intumeſcunt ſicut & à ſanguinis deſidia in partibus relaxatis. An ſomnus motum ſanguinis compeſcit in febribus? Videtur compeſcere retardando ſanguinis motum? Cur paulo antè & poſt ſomnum pandiculationes, oſcitationes? quod muſculi non tendantur, defectu ſpirituum in muſculis, quarè ſanguis immoratur & injucundum gravitatis ſenſum infert, membrorum contractiones parientem, & ita ſanguis ſtagnans tenſionis partium muſculoſarum defectu exprimitur; ex lege ſiquidem unionis animæ cum corpore, illicò ac pars aliqua malè afficitur, ſufficientes ſpiritus amandantur ad auxilium rei nocivæ, ejuſdem expulſores: oſcitationes pariter, quod ſanguis ſpiſſior diutius immoretur, à ſubſidentiâ pulmonum, qui ut exprimatur magnis indiget inſpirationibus, diſtenditur ſiquidem pulmo ſpiritalis antlia, ſpongioſumque ſanguinis & aëris commiſcendorum ſpiraculum, ſanguis hac mechanica attenuatur, & liberius itque reditque viam. Idem parit ſtudium pertinax in meroſis & triſtibus? Cur partes reſpirationi dicatæ moventur in ſomno? Id ſanè à nervis cerebelli, cujus ſtrictior textura ſerum non admittit, à quo poſſit relaxari, & glandulæ tonum ſuum amittere. Non æqua eſt in ſomno tranſpiratio ac in vigilia, ex tardiori ſanguinis motu, & membrorum quiete, & ob influentis calidi ad viſcera revocationem, nec injuria, cum enim vigiliæ ad influentis calidi expanſionem oriantur, certè, ut ad ejus contractionem revocetur ſomnus conſonum eſt, maximè cum id calidum functionum omnium extet inſtrumentum, nec aliud in corpore annotetur, quod adeò celeres ſubire valeat mutationes: hinc in dormientibus frigus, livor, & pallor revocati caloris inditia initio, tandem plerumque calor tum à cooperimentis, & à materia tranſpirationis in linteis recepta, quare incaleſcunt dormientes & quandoque ſudant, à ſero craſſiori facto.

ΩΡΑΙΩΣ τὰ ὡραῖα, tempeſtiva tempeſtivè facienda, non ſemel pronuntiavit divinus Hippocrates, cui aſſentientes tempeſtivum ſomnum cenſemus pauliſper à cibo, hoc adhibito diſcrimine, ut pro ratione ætatis, temperiei, vitæ generis, tempeſtatis, conſuetudinis, neceſſitatis & aliorum brevius aut longius interponatur intervallum, quo miſceri & diſſolvi nonnihil incœperint alimenta ſobriè & opportunè ventriculo concredita, portioque excrementorum ſuperflua colloquiis familiaribus, jucundis recreationibus, aut levibus ambulationibus repurgari, & pars chyli amandari per venas lacteas ad ſubclaviam, cor, pulmones, & caput, ea tamen lege, ut calor & ſpiritus ab utriculari tibia, non niſi leviter evocentur, citrà perficiendæ chyloſeos diſpendium: ut enim optimum eſt laborem cibos præcedere: ita ſupra modum laborare à cibis peſſimum: alioquin ſi ſtatim à cibo iniretur ſomnus congeſtis in eſculentorum, potulentorumque promptuarium cibis, & oppreſſo ſpiritu, confeſtim crudo alimento turbaretur & aggravaretur concoctio, & premerentur famulantia reſpirationi organa, quæ relaxanda, ne ſomno lædamur. Ita gravantur natantes quibus appenduntur onera. Nec illico à paſtu immiſcetur chylus ſanguini, ſolùm ſupernatat crudus & indigeſtus: perviligio breviori vincuntur meliùs cibi, contractione ſiquidem muſculorum intimiùs ſanguini cremor chyloſus permiſcetur, perfectioremque naturam adipiſcitur, aliter crudiori chylo amittens moles ſanguinea ſuam volatilitatem, paulatim obſtructiones parere apta eſt, in vaſis, maximè in pulmonibus, ut obſervatum fuit, in plurimis ſtatim à cibo dormire ſolitis, qui pthyſici interiere; à ita apoplectici, nec ob has tantum rationes digeſtio imperfectior in ſomno celebratur, ſed quod etiam motu corporis fermentum alimenta diſſolvens intimiùs cum iiſdem miſceatur, ut videre eſt in vaſe congruo, ubi menſtruum agitatur ad corporis diſſolvendi penetrationem: adde quod non par ſpirituum copia in cerebello ſecernatur inter dormiendum, ac in vigilia, in qua ſanguis ſubtilior exiſtit, non æqua ſalivæ abundantia, ac inter vigilandum, oris muſculorum contractione. Neque ſit cibum inter & ſomnum longior intercapedo, ne tollatur præcipua ſomni occaſio, turpiſque qui alto ſole ſemiſomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit, ille ſiquidem malè lucis noctiſque officia pervertit. Nocte appetente corpora gravis quidam langor invadit, & animas torpor ineficax, ſuadentque cadentia ſydera ſomnos. Longè præſtat pauliſper à cibo dormire, facilè enim cibum ſequitur ſomnus, quia, quæ facit aër, hæc eadem cibus in venas dum diditur omnes, efficit, & multo ſopor ille gratiſſimus exſtat, quem ſatur aut laſſus capias, quia plurima tunc ſe corpora conturbant magno concuſſa labore. Opportunior ſomnus, arctior & paccatatior non longè à cibo obrepit, ex legibus mechanicis; cum enim ventriculus cibis onuſtus & fœtus, vaſa vicina, venam cavam & aortam comprimat, ſanguis non niſi ægrè in inferiora delabitur, & abundantius ad cerebrum aſcendit, atque corticales ejus glandulas mole ſua comprimens, animalium ſpirituum ſecretionem præpedit, ſulphureis & phlegmaticis, quibus ſaturatur particulis, actuoſiores & vividiores cruoris moleculas nectit, hinc irretiuntur ſpiritus, lenteſcit ſanguis, terreſtrium unione particularum, à qua ſerum ſeparatur & rapitur ad ſacram Palladis arcem, eaſdem laxatura glandulas, defectuque tenſionis, ſpiritus ad ſenſus motuſque organa exilire nequeunt, ad functiones edendas: ita ſenſus communis & reliqui obligantur, oriturque ſomnus. Intercapedo tamen illa in pueris & ſenibus breviſſima ſit ſomnum inter & cænam, in quibus Galenus laudat Homericum hoc de Neſtore, qui trecentos ſic vixiſſe annos perhibetur, ut lavit ſumpſitque cibum dat membra ſopori, namque hæc juſta ſeni. Nec ſomnus meridianus pauliſper à prandio vitandus, ad virium immoderato calore, & labore, aliiſque reſtaurationem, potiſſimùm in regionibus calidioribus, tunc enim novis conatibus tanquam condimento quodam refecti, ad ſuperſtites res agendas ſeſe conferunt alacriores.

Non ergo fugiendus ſomnus pauliſper à cibo.

Proponebat Pariſiis MICHAEL LUDOVICUS RENEAUME DE LA GARANNE, Bleſenſis, Baccalaureus Medicus, è Regiâ ſcientiarum Academiâ. A. R. S. H. 1699.